



amplius venire non audent. Contra illam insulam processimus, eam tamen, dum prope essemus, ad sinistram dimisimus. Porro dum jam nox esset, cessavit noster bonus ventus et illa nocte parum fecimus de via.

Quinta decima die, quae fuit dominica 3. post Trinitatis, et festum Sanctorum Viti et Modesti, idum aspiraret sol, inceperunt galèoti remis galèam trahere, quia venti non erant contra portum (B) urbis Metonae, a quo non nisi per unum miliare almanicum eramus, et cum magnis laboribus circa horam VIII. ante meridiem in portu eramus. Statim autem in scapham descendimus, et in civitatem navigavimus, et in ea peregrinos domini Augustini invenimus. Duxi autem Dominos meos et alios peregrinos ad ecclesiam fratrum Praedicatorum et ibi missam audivimus dominicalem. Prior vero loci et alii fratres optime me noverunt, ex prima peregrinatione. Porro finita missa ingressi sumus domum furnorum, ubi paximates vel paximacii coquuntur pro navigantibus, in qua domo habitat quidam theutonicus senex, et ibi prandio parato cibum sumpsimus. Caeteri vero peregrini ad domum dominorum theutonicorum transierunt, et ibi sibi provisionem fecerunt. Post prandium moenia civitatis ascendimus, et super ea circuivimus, et in expugnabiles ejus munitiones mirati sumus. Non enim est insula, sed terra continens, Turcorum terrae continua, de qua plenius dicam in reversione. Porro galèa domini Augustini etiam erat in portu illo et omnes peregrini sui in civitate, et habuimus simul jocundam et bonam societatem, quod tamen patronis displicuit, quia putabant, quod sicut ipsi discordiam et inimicitias adinvicem habebant, quod et nos eodem veneno deberemus esse infecti, et a mutua conversatione fugere: sed non curavimus, et simul comedimus et bibimus: eosque in nostram galèam videndam, et ipsi nos in suam, induximus, et ita simul diem usque ad vespas deduximus, cum laetitia gaudentes, quod in medio viae maris convenimus. Nam Metona civitas dicitur esse in media via a Venetiis usque ad Jerusalem. Porro circa vespas ambo patroni insonuerunt buccinis vocantes peregrinos in galèas. Signo ergo audito omnes in galèas remeavimus. Eodem sero Augustinus cum suis peregrinis recessit;

180

178

184

174

189

169

229

129

279

079

Ende

Anfang